

HELMANTICA

REVISTA DE HUMANIDADES CLASICAS
DE LA UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA

AÑO X

ENERO - ABRIL DE 1959

NÚM. 31

DE LINGUA LATINA RITE EXCOLENDIA

EPISTULA SACRAE CONGREGATIONIS DE SEMINARIIS ET
STUDIORUM UNIVERSITATIBUS AD EXCELLENTISSIMOS
LOCORUM ORDINARIOS ¹

Excellentissime Domine,

Latinam excolere linguam eandemque diligere sacrorum alumni per saeculorum decursum iustis probatisque institutis edocti sunt. Minime enim Te praeterire censemus —utpote sacrae tuae iuventae rectam educationem pro viribus prosequentem— quantopere instent Ecclesiae praecepta, ut ad Sacerdotium contentes cum generatim humanis litteris tum praesertim Latino sermone sedulo imbuantur. Probe enim novimus hanc linguam esse Sacerdotis insigniter propriam, qua is uti iubetur cum Sacra exsequitur Christi vicem gerens apud Deum; non est dubium igitur quin ipsius muneris gratia ille non modo huius sermonis gnarus esse debeat, verum etiam peritus quam qui maxime.

At nostra aetate vulgata est opinio viros ecclesiasticos haud ita optimis artibus esse eruditos, quibus decessores anteactis

¹ AAS, 50, 1958, 292-296.

temporibus omnium aestimationem sibi comparabant; quin etiam, saepe ac passim dici audimus non deesse sacerdotes sacris ordinibus recenter auctos, qui, ad Latinam linguam quod attinet, tanta inscitia laborent, ut eam non modo expedite loqui aut scribere inoffensis grammaticae legibus, sed etiam vel facillimum Latinitatis auctorem intelligere nequeant.

Quae sit huiusmodi rei causa, plane omnibus patebit, qui paulo perpenderit quomodo alumni nostri in praesens instituantur. Fatendum quidem est in nostris quoque Seminariis Latinae linguae studium multum esse imminutum, atque sacra Ephebea haud raro inclitam studiorum laudem amisisse, qua, litterarum cultum cum boni virtutisque amore egregie componendo, exemplo auctoritateque viguerunt: pro dolor! aetas haec nostra nihil aliud vel pluris facere vel avidius cupere videtur, quam commoda vitae utilitatesque, atque non sine contemptu aspernari quod politiorum artium et litterarum navitatem pulchritudinemque redoleat.

Ne quis existimet nos plus dicere quam patiatur veritas, cum de Latinae linguae defectione in Seminariis nostris querimus, satis fuerit in medium quaedam proferre exempla quae huic Sacrae Congregationi comperta sunt. Etenim per Visitatores Apostolicos, qui nuper in singulis Nationibus de ratione studiorum penitus investigaverunt, factum est, ut de hac re tristissima nancisceremur testimonia. Quin imo non defuerunt qui, ingravescente malo commoti, sua sponte animum nostrum in negotium tanti momenti converterent, omnes ipso quo funguntur munere fide digni et omni exceptione maiores, hoc est Universitatum studiorum Praesides, Seminariorum Moderatores ac Magistri, nec non aliqui viri laici haud parvae auctoritatis impenseque de Ecclesiae bono solliciti.

At nos moverunt praesertim plurimorum Episcoporum interventus, qui fuse et iisdem fere verbis damna denuntiant Ecclesiae obventura, nisi opportuna aptaque remedia adhibeantur. Afflictam Latinae linguae sortem conquesti, eius ignorantiam potissimum deplorant, eo quod, hac de causa, nostrorum Ephebeorum alumni disciplinas philosophicas et theologicas minus colere videantur vel leviter tantum attingere. Nam Latinum sermonem nisi sacrorum alumni optime calleant —id quoque

Excmi. Praesules iure meritoque affirmant— Sanctorum Patrum scripta, Conciliorum definitiones edictaque, Summorum Pontificum documenta, Theologorum sententiae, uno verbo, uberrima totius Traditionis monumenta divitias suas eis aperire non possunt.

Quapropter Sacra haec Congregatio tot tantique ponderis invitationes, quae undique ad eam pervenerunt, recipere non dubitavit; atque rem utilem simul et acceptam se facturam omnibus confisa, ut in libellum colligerentur decrevit documenta aliqua, quae SUMMI PONTIFICES nostro tempore propiores ad rem quod attinet luculentissime dederunt. Qui enim hoc parvum volumen evolverit, facile cernet quanta argumentorum vi Latina lingua nostris adolescentibus proponatur omni diligentia et cura perdiscenda. Summos Pontifices loquentes induximus, ut omnibus, ad quos pertinet, sine ulla ambiguitate pateat quid faciendum sit, ut quae eorum voce Ecclesia ipsa iubet, ad effectum studiosissime deducere non pigeat².

Quo plenius vero propositum assequamur, operae pretium est exponere quaenam sint remedia adhibenda, malo curando

² Quo uberiora de Latinae linguae studio et usu argumenta Excellentissimis Ordinariis suppeditaret, Sacra Congregatio de Seminariis Studiorumque Universitatibus duo quoque opuscula ad eos misit, quibus titulus: I. *Summorum Pontificum cum de humanioribus litteris tum praesertim de Latina Lingua documenta praecipua*; II. *Il Latino lingua viva nella Chiesa*, in quo viri praeclari docte ac dilucide rem proponunt.

Ad Summorum autem Pontificum documenta quod attinet, haec quae sequuntur allata sunt: PIUS IX, Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856 (*Enchiridion Clericorum*, n. 338); — LEO XIII, Epist. *Plane quidem*, 20 maii 1885 (*Ench. Cler.* nn. 461-465); Epist. Encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899 (*Ench. Cler.* nn. 593-596); — PIUS X, Epist. S. C. Studiorum, *Vehementer sane*, 1 iulii 1908 (*Ench. Cler.* nn. 820-822); Epist. *Sollicitis Nobis*, 8 dec. 1910 (*Ench. Cler.* n. 849); Epist. *Votre lettre*, 10 iulii 1912 (*Ench. Cler.* n. 861); — BENEDICTUS XV, Litt. S. C. de Semin. et Stud. Univ. *Vixdum Sacra Congregatio*, 9 octobris 1921 (*Ench. Cler.* n. 1125); — PIUS XI, Epist. Ap. *Officiorum omnium*, 1 augusti 1922 (*Ench. Cler.* n. 1154); Epist. Ap. *Unigenitus Dei Filius*, 19 martii 1924 (*Ench. Cler.* n. 1189); M. P. *Latinarum litterarum*, 20 octobris 1924 (*Ench. Cler.* nn. 1200-1202); — PIUS XII, Epist. Encycl. *Mediator Dei*, 20 novembris 1947 (A. A. S. 39 [1947] 544 s.); Serm. *Magis quam*, 23 septembris 1951 (A. A. S. 43 [1951] 737); Serm. *C'est une grande joie*, 5 septembris 1957 (A. A. S. 49 [1957] 845-849).

consentanea; quae sane ita deligenda sunt, ut sint pauca quidem numero, sed efficacitate validissima.

I.—Dubitari non potest quin ad linguam Latinam in pristinum florem vigoremque restituendam, primum locum obtineat accurata selectio Magistrorum. Perspicuum est enim nullum huius disciplinae profectum esse sperandum usque dum magistri haudquaquam idonei huic operi addicti fuerint. Nam Visitatores Apostolici communi sententia affirmant ex hoc potissimum prodire valde dolenda consectaria, quod scilicet huic disciplinae tradendae saepe saepius magistri praeponantur haud pares. Curent igitur Ordinarii, ut discipulos doctis praeceptoribus solummodo committant, iis in primis qui, cum altius ac diligentius apud Universitates studiorum in litteris elaboraverint, sint instituendi docendique periti; qui si desint, omni contentione eos parare enitantur.

II.—Ad Latinum autem sermonem facilius penitusque ediscendum, Seminarii alumni inde a primis navandis litterarum studiis huius linguae rudimentis instituantur necesse est. Recta vero institutionis methodus accurate seligatur oportet: quomodo scilicet tironibus haec disciplina sit impertienda, ut eam colant, diligant ac diligendo optime discant.

Sunt qui, severiorem sententiam secuti, nimis et temporis et curae philologicis pervestigationibus tribuant atque doctissimis quidem ac paene infinitis elucubrationibus discipulorum mentes referciant: quid mirum, si tantam doctrinae congeriem oscitanter accipiunt alumni atque fastidiunt?

Alii contra, quibusdam recentioribus instituendi praeceptis indulgendo, censent discipulis, paucis dicendi scribendique legibus acceptis, quam primum in lectionem optimorum Latinitatis Auctorum esse incumbendum. Quo fit, ut discentes, necessariis rudimentis haud instructi, omne genus difficultatibus prohibeantur, quominus quae legant recte interpretari valeant; quamobrem crebro accidit, ut pueri, vanis infructuosisque inceptis fatigati, animo ita deficient, ut desperent se id quod conantur assequi posse.

Cum omne, quod finem et modum excedat, semper noceat,

medium iter tenere debemus: apta igitur et efficax illa nobis videtur alumnorum institutio, quae —opera congruenter impensa grammaticae regulis verborumque constructioni ediscendis— crebris exercitationibus ad difficultates evincendas et ad scriptores recte interpretandos gradatim perducatur.

Qui vero Auctores deligendi? Antiquitatis Romanae unis scriptoribus contentos nos esse oportet, sed etiam magni aestimandi sunt totius Latinitatis Auctores, qui tum incorrupta verborum integritate concinnaque oratione, tum dicendi genere ad aureae aetatis magistros iure accesserint. Latinus enim sermo numquam ita iacuit, ut aliquando cultores egregios non invenerit non minus elegantia quam doctrina conspicuos. Ex omnis aetatis igitur viris litteratis exemplum simul et incitamentum capiant discipuli, qui hac ratione certis innixam argumentis hanc detegent veritatem: linguam Latinam non esse mortuum quiddam vel exsanguis saeculorum pulvere contectum ideoque ad vitae disciplinam prorsus inutile, sed instrumentum atque sapientiae humanitatisque vehiculum, quibus, Ecclesia duce et magistra, noster civilis cultus effictus et conformatus est: eam igitur iure meritoque firmam etiam hodie servare vim et efficacitatem.

III.—Postremo unum nobis valde commendandum restat, ut scilicet ad linguam discendam iusta alumnis concedatur facultas: ut enim eius praecepta et usum calleant —cum praesertim haud parvae obstant difficultates— multum temporis et laboris requiritur. Quid igitur dicendum de illis studiorum rationibus (quas in quibusdam Seminariis vigere comperimus), quibus tam paucae numero horae praelectionum linguae Latinae studio tribuuntur? Quidam excusationem afferunt, quod maioribus necessitatibus cedere cogantur: aiunt enim alumnos, nisi rationem studiorum a civili potestate praestitutam sequantur, gradus academicos publice probatos acquirere non posse. Quae tamen excusatio probari nequit. Nam Ecclesia ad sacrorum alumnos rite instituendos, cum suos peculiare habeat ac prosequatur fines, suis quoque utitur legibus, quibus nullo pacto se abdicare potest; ceterum esse Seminaria, in quibus tirones et latine discant et gradus academicos sibi comparent, omnibus comperitum est.

Haec Tecum communicanda putavimus; eaque sane tanti momenti et auctoritatis esse videntur, ut Tuas mereantur curas sollicitudinesque quam maximas. Pro certo quidem habemus, omnia in Tuo Seminario ita dispositum iri, ut ad has normas hortationesque alacriter conformentur.

Qua freti spe, optima quaeque Tibi ex animo ominamur ac plurimam in Domino salutem dicimus.

Datum Roma, ex Aedibus Sancti Callisti, d. xxvii m. Octobris, in festo D. N. Iesu Christi Regis, a D. MCMLVII.

✠ I. Card. PIZZARDO, *Praefectus*

L. ✠ S.

† C. Confalonieri, *a Secretis*